

DE SUMMA TRINITATE ET DE FIDE CATHOLICA  
ET UT NEMO DE EA PUBLICE CONTENDERE AUDEAT.

1.1.1

*Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. ad populum urbis Constantinopolitanae.*

Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit  
temperamentum, in tali volumus religione versari, quam  
divinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio  
usque ad nunc ab ipso insinuata declarat quamque  
pontificem Damasum sequi claret et Petrum Alexandriae  
episcopum virum apostolicae sanctitatis, hoc  
est ut secundum apostolicam disciplinam evangelicamque  
doctrinam patris et filii et spiritus sancti  
unam deitatem sub pari maiestate et sub pia trinitate credamus.

¶ Hanc legem sequentes Christianorum  
catholicorum nomen iubemus amplecti, reliquos  
vero dementes vesanosque iudicantes haeretici  
dogmatis infamiam sustinere, divina primum vindicta,  
post etiam motus nostri, quem ex caelesti  
arbitrio sumpserimus, ultione plectendos.

*D. III k. Mart. Thessalonica Gratiano V et Theodosio AA. conss.*

*[a. 380]*